

his Mellita, citato agmine ad Athesim pervenit: quo fu- 1439
perato, sub occasum solis ad montium angustias cum
paucis est progressus, qua arx in asperrima rupe eminet.
Cogit sese ad exitum Lagarinæ vallis Athesis fluvius, per-
que arctissimas abrupti montis angustias, non sine horro-
re, altissimarum rupium hinc inde in murorum speciem
ad sagittæ jactum prominentium, per mille & amplius
passus defluit: estque intra extremum amnem & rupes
ipsas tam arcta semita, ut duorum expeditorum militum
raris sit locis capax; sed circa arcem adeo coeunt mon-
tis latera, ut alto gurgite utranque rupem fluvius per-
stringat. In ea igitur parte cui arx incubat, ad jactum
teli vivo saxo excisa semita est, singulis peditibus equi-
tibusve pervia. Ausim ego affirmare, qui duo nunc sunt
montes, unum olim fuisse, quod ex ipso aspectu facile
datur intelligi; nam & juga utrinque prominentia, &
ipsæ saxorum crepidines ita sibi respondent, ut nihil illis
ipsis inter se similis esse possit. Huc, ut dixi, ad vespere-
ram progressus Sforzia, ex iis qui præsidio arcem tene-
bant, cognovit, tentatum fuisse locum a Francisco Picini-
ni filio: sed quum ille se nihil profecturum putaret, sine
alio majore certamine retro abiisse. At Venetus dux ve-
ritus ne in insidias præcipitaretur, Nicolaum Pisanum
sub lucem cum expeditis equitibus præmisit, qui suspe-
cta itinera, & imprimis angustias ipsas exploraret. Is
haud multo post celeri cursu retulit, angustiarum exitum
vim hostium ingentem infedisse. Ferunt tum Sforciam ve-
hementer commotum, Marcellum, Mellitam, & alios
pro concione allocutum, docuisseque: *Aut eo die sibi in
angustiis illis locorum cadendum esse, aut per stragem ho-
stium in apertum evadendum: Exploratum habere se, &
a fronte hostem vallis exitum clausisse, ac dubium esse,
ne a tergo etiam infessa jam sint loca omnia. Irent igitur,
Sforciaque & ejus fortuna duce, in hostem ferociter irrue-
rent: scirentque, nullum esse tam infestum locum, nullam
armorum vim, quam, comite fortuna, non virorum virtus
domare possit.* Et jam futuræ pugnae intentus procedebat